

RMK. II.

1446

Hung-e

930.

1679

Book I, 1446,

1679

1679

13,794.  
ex. Libr.

HISTORICA RELATIO  
COLLOQVII CASSOVIENSIS

De  
JUDICE CONTRO-  
VERSIARUM FIDEI,

*Praefide*

R. P. GABRIELE JVUL, Soc.  
JESU, SS. Theol. ac Phil. Doctore, Almæ  
Episcopalis Academiæ Cassoviensis Cancellario  
& Controversiarum fidei Professore.

*Respondente*

Nobili STEPHANO RENYES  
Varadiensi (ante Studioso Calvin.)

ex convictu Nobilium,  
habiti,

*cum*

Dn. ELIA DIVERO, Rectore Bartphensi

*&*

M. ISAACO ZABANIO, ConR. Eperiensi,

*ANNO M DC LXVI. die 25. Junii tota,  
& 26. usq; ad meridiem.*

Bonâ fide & conscientiâ inculpatâ à  
Scriptoribus in Actu disputationis excerpta & in Ju-  
dicio Lutheran. ac Pontif. à Confessore Veri-  
tatis Anno C. 1679. exhibita.

1680.


13, 794.  
Oct. 16th.

*Esaie cap. 8, v. 20.*

Ad legem (magis) & ad testimonium. Qvod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

*Hieronymus ad Suniam & Fretelam:*  
*Epist. 135.*

Sicut in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quoniam novum scriptum est instrumentum: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosq; diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quicquid de fonte proficiatur, hoc queramus in rivulis.



## ARTICULI propositi in Disputationem.

### ARTICULUS I.

**C**Redimus cum Sacra Scriptura, in dubiis seu controversiis Fidei ac Religionis, audiendos Seniores esse & Patres nostros. Qvòd ab illis verus intellectus habeatur, Dev. 32, 7. Eccl. 8, 11. Qui viam Antiquorum Patrum bonam scrutatur & ambulat, et si ignoret, ex ore Sacerdotis Scientiam & Legem Salutis requirit, inveniet requiem animæ suæ, Jerem. 6, 16. Malach. 2, 7.

### ARTICULUS II.

**C**Redimus in Ecclesia Christi tanquam in diversis membris unius corporis variæ operationes & dona esse: & alii quidem discretionem Spirituum: alii generali variorum: alii interpretationem sermonum dari: neque omnes interpretari Scripturas posse, 1. Cor. 12, 7. & 28. In his vero quædam esse difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem, 2. Pet. 3, 16. siquidem Prophetia Scri-

pturæ propriâ interpretatione non sit,  
2. Pet. I. 20.

### ARTICULUS III.

**C**redimus Pastores & Doctores datos esse in opus Ministerii & ædificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes, Eph. 4, 12. & 14. Qvi novit Deum, audit eos; qvi non est ex Deo, non audit eos: atque in hoc cognoscimus Spiritum Veritatis & Spiritum erroris, 1. Joh. 4, 1. & 6. Ita probamus Spiritus, Ibidem.

### ARTICULUS IV.

**C**redimus, qvōd is, qvi Ecclesiam in rebus controversis non audierit, Matth. 18, 17. sit sicut Ethnicus & Publicanus: qvi verò superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio & Decreto Judicis, morietur homo ille. Dev. 17, 10.

### ARTICULUS V.

**E**Thæc in professione Fidei confitemur, cùm dīcīmus: Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliqvasqve ejusdem Ecclesiae Observationes & Constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, ejus est judicare de vero sensu, & interpretationem Scripturam admitto, nec eam unquam, nisi secundum unanimi-

unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.

### ARTICULUS VI.

**D**Amnamus itaque illos, qvi suum Sensem Patrum & Sacerdotum Veterum, qvos Orthodoxos fuisse receptum est, interpretationi in Sacrae Scripturæ explicacione præferunt: Item, qvi docent, Ecclesiæ non competere infallibile Magisterium, respectu fidelium in proponendo vero sensu Scripturæ Sacrae, sed ejus declarationes cujusque examini subjiciunt. Qvi negant Ecclesiæ infallibile judicium de vero sensu & interpretatione Sacrae Scripturæ, & tamen cuique privato, sine ulla Scriptura, docent infallibilitè constare de vero sensu Scripturæ, in rebus ad salutem necessariis.

## COLLOQUIUM MATUTINUM.

Respondens post qvædam verba invitavit: Si quid habent contra Theses nostras Clarissimi Domini, rogamus ut in medium proferant.

*M. Zabanius.*

Magnifico Domino Rectori, ut & Excellentissimo Domino Præsidi, ac Erudito Domino Respondenti repono gratias pro invitatione. Et anteqvam in medium proferam

A 3

Argu-

Argumenta, monitos vos volo, ut, siqvidem  
cupidis esse Imitatores & Successores S. Petri,  
ejus etiam præcepti memores sitis, i. Petr. 3,16.  
*Parati estote ad satisfactionem omni poscen-  
ti vos, cum modestia*, ne, velut priore anno  
mihi contigit, clamoribus & convitiis dispu-  
tatio transfigatur.

*Præses*

Promittit modestiam ridendo, et ro-  
gat, ut perget,

*M. Zabanius.*

Quid intelligunt in Thesibus nomine  
Ecclesiarum?

*Jvul.*

Ecclesiam sub visibili capite aliquid de-  
finientem, vel ex Cathedra, vel per summa  
Concilia.

*M. Zabanius.*

Ergo consequenter summus Judex Con-  
troversiarum erit Pontifex Romanus.

*Jvul.*

Maximè.

*M. Zabanius Objicit:*

Pontifex Romanus contradicit Petro  
definitivè. Ergo non potest esse Judex con-  
troversiarum. Antecedens probatur ex  
i. Petr. i, i. Qvicunque hanc Propositionem  
damnat definitivè tanquam hæreticam, ille  
est contradictorius Petro. Atqui Pontifex

Roma-

Romanus hanc Propositionem damnat defi-  
nitivè tanquam hæreticam, E.

*Respondens.*

Non est Scripturæ, sed tantum rationis  
Argumentum: Ideò non admittitur.

*Ladiver.*

Falsa & præjudiciosa veritati est hæc  
Francisci Veronii sententia, quasi per solam  
Scripturam excludatur omnis ratiocinatio.

*M. Zabanius.*

Fabulosa est hæc responso: Qvia ne-  
mo Lutheranorum supponit omnes Articulos.  
Fidei formali ter extare in scripturis.

*Jvul.*

Nec istum vobis affingimus sensum  
(cum tamen unicum præsidium artis sit no-  
vae istud, ut contra Conseqventias omnes Lu-  
theran. Articulos fidei in qibus à Pontific.  
dissent, probent: & Titulus Thesum in hac  
hypothesi captiosè positus erat, ex solo verbo,  
i.e. Scriptura DEI.).

*Zabanius.*

Probo igitur Antecedens: Pontifex Ro-  
manus definitivè damnat sententiam Petri in  
Concilio Constantiensi, E. erravit.

*Jvul.*

Concilium Constantiense non est legiti-  
mum, nec approbatum Concilium.

*Zadiver.*

Adfuit Pontifex Romanus. E. Qvia sunt  
tres in illo depositi, & Martinus V. electus.

*Jvul.*

Sed Concilium Constantiense non sus-  
ceptum.

*Zadiver.*

Per quem non est suscepsum?

*Jvul.*

Per Lateranense Concilium Romanum.

*Respondens.*

Aut Clarissimus Dn. Zabanius potest op-  
ponere, aut non potest. Posterior? E. fatea-  
tur se esse victimum. Prius? E. solus opponat.

*Zadiver.*

Nos pro Dei Causa stamus hic pro una  
Persona, quod dicit unus, dicit & alter.

*Zabanius.*

Si est illegitimum Concilium Constan-  
tiense E. Hus illegitimè est damnatus.

*Jvul.*

Nego consequentiam.

*Zabanius.*

Qvia Hus secundum illum sensum, quem  
Petrus h. l. intellexit, retinuit, quæ tamen  
velut Hæretica est damnata sententia.

*Jvul.*

Distingvo antecedens: In sensu Expli-  
cato concedo, in sensu Hussii nego.

*Za-*

*Zabanius.*

Idem erat sensus Petri & Hussii.

*Jvul.*

Falsum est. Qvia Hus intellexit Ele-  
ctos secundum præscientiam Absolutam.

*Zabanius.*

Nego, Qvia Confessio Fratrum Bohe-  
micorum aliter döchet.

*Jvul.*

Nescio utrum illum habuerit.

*Zabanius.*

Qware ergo damnatus est?

*Jvul.*

Qvia damnatus est, debuit alium habe-  
re sensum.

*Magnificus Rector.*

Rogo, recitentur verba Hussii.

*Zabanius.*

Non omnes Libros circumferre possu-  
mus. Adferatur D. Paletz Compillatoris  
Errorum Hussii Liber: Sic Michael de causis  
Artic. 3. Post multos clamores protestatur  
Magnificus Rector, & compromittit, si osten-  
derit Dn. Zabanius hunc fuisse sensum Hussii,  
fateri se victimum.

*Zabanius.*

Probo Secundò Antecedens ex eodem  
Cap. v. 13. Hinc argumentor: Qvi docet  
definitivè non esse perfectè sperandum, sed

A 5

hæ-

hæsitandum in Articulo Justificationis , ille contradicit Pet̄o. Atqvi Pontifex Romanus docet definitivè non esse perfectè sperandum, sed hæsitandum in Articulo Justificationis. E.

Jvul.

Nego Minorem.

Zabanius.

Probo ex Concilio Tridentino , Can. 13.  
Session. 6.

Jvul.

Nego Conseqvens secundūm Canonem.

Zabanius.

Probatur Conseqvens : Qvia perfecta spes tollit omnem dubitationem. Atqvi Petrina spes est talis , E.

Jvul.

Concedo totum.

Zabanius.

Ergò excludit Canonem Concilii Tridentini.

Illustris & Rever. Episcopus Agriensis.

Aliud est hæsitare in fide, aliud in spe. Canon de priore, non de posteriore loquitur. Et Fides Universalis non verò particularis excludit hæsitationem.

Zabanius.

Etiam fides particularis excludit hæsitationem, Matth. 9, 2. & 21, v. 21.

Jvul

Jvul.

Unus tantum feligatur locus.

Zabanius.

Affumo Matth. 9. v. 2. Ubi Christus dicitur vidisse fidem Paralytici. Jam qværo ex vobis : qvæ fides h. l. intelligitur, Universalis an particularis?

Jvul.

Loquitur de fide propria, prout est contradistincta spei.

Zabanius.

E. fides ista Particularis excludit hæsitationem, qvod antè non concessit.

Jvul.

Falsum est.

Zabanius.

Aut vidit fidem hæsitantem, aut non.

Jvul.

Prius assumitur.

Zabanius.

Qvi antequam dixisset, confide fili, prævidit fidem illorum.

Jvul.

Conceditur.

Zabanius.

Qvare ergo positus est hic Canon.

Jvul.

Audiat ergo : Ut possum dubitare, an sim legitimè baptizatus ? ita, an sim salvandus ?

Ladi-

*Ladiver.*

Protestor coram Illustrissimo & Reverendo Domino, actoto hoc Nobilissimo Auditorio, Præsidem nescire, an sit baptizatus. Non putabamus nobis baptizatis cum non baptizato esse rem.

*Ivul.*

Mendacium est, non dixi hoc.

*Ladiver.*

Mendacium non solvit Argumentum.

*Ivul.*

Mendacium est me hoc dixisse.

*Ladiver.*

Omnes Nobilissimi Auditores audierunt, planè hæc verba dixisse Præsidem: Committo Auditoribus, & protestor hæc dicta fuisse.

*Magnificus Rector*

Volens modicare absurdum, dixit: Non est sensus Præsidis, an sit baptizatus sed an sit legitimè baptizatus, quia nescit de intentione Ministri.

*Ladiver.*

Et ita habeo intentum. In super nego intentionem Ministri pertinere ad Essentiam Sacramenti.

Post multa: aliam modificacionem addit P. Rector: Nescit scilicet fide divinâ; sed scit fide morali.

*Ladi-*

*Ladiver.*

Omnis certitudo moralis est, cui potest subesse falsum. Atqvi Præsidis certitudo de Baptismo, per concessum. E.

*Ivul.*

Distingvo Conseqvens: potest subesse falsum absolutè concedo, respectivè nego.

*Ladiver.*

Certitudo ad salutem est sufficiens, cui non potest planè subesse falsum, alioquin non est sufficiens certitudo. Et certitudo Divina est, cui absolutè non potest subesse falsum. Atqvi Certitudo hæc. E.

*Ivul*

Respondet, Nihil.

*Ladiver.*

Certitudo moralis opponitur Divinæ. E. qvicquid competit certitudini Divinæ formaliter, non competit certitudini morali formaliter. Atqvi non subesse falsum competit certitudini Divinæ &c. E.

*Ivul.*

Concedo totum.

*Ladiver.*

Habeo igitur intentum.

*Ivul.*

Distingvo conseqvens: Non potest subesse falsum certitudini morali formaliter, non abolutè.

*Ladi-*

*Ladiver.*

Omnis certitudo practica, qvæ est de salute practica, non est ea certitudo, cui potest subesse falsum etiam absolutè. Atqvi, E.

*Jvul.*

Concedo.

*Ladiver.*

Qvod proximè antè negatum est.

*Zabanius.*

Illa certitudo, cui potest subesse falsum, non est sufficiens ad ponendum fundamen-  
tum totius Ecclesiæ : Atqvi certitudo de Ba-  
ptismo Romani Pontificis, E.

*Jvul.*

Nego Majorem.

*Zabanius.*

Religio fidem Divinam habet pro fun-  
damento. E. non nititur fallibili.

*Jvul.*

Concedo totum.

*Zabanius.*

Ergo vicimus.

*Jvul.*

Pontificem esse baptizatum infallibili-  
ter, non est de fide.

*Zabanius.*

Qui non sunt certi de Episcopatu Ro-  
mani Pontificis fide divinâ, illi non possunt  
statuere fide divinâ Pontificem Romanum  
pro Judice controversiarum. Atqvi vos. E.

*Jvul.*

*Jvul.*

Nego Majorem.

*Zabanius.*

Qvia tota infallibilitas dependet ex of-  
ficio ipsius. Jam sic: De qvo non sum cer-  
tus, qvòd sit legitimus Episcopus, de illo non  
sum certus, qvòd sit Judex controversiarum.  
Atqvi de Romano Pontifice non sum certus,  
qvòd sit legitimus Episcopus. E.

*Jvul.*

Nego Minorem.

*Zabanius.*

Qvia de officio Pontificio non habemus  
certitudinem Divinam.

*Jvul.*

Nego antecedens.

*Zabanius.*

Illud officium constat aut ex Scriptura,  
aut ex Revelatione.

*Jvul.*

Utroq; modo.

*Zabanius.*

Probetur igitur.

*Jvul.*

Dictum est Petro & successoribus ejus:  
Tu es Petrus, & Pasce oves meas.

*Zabanius.*

A Petro ad Papam non Valet Conse-  
quentia, qvia definitivè contradicit Petro,

i.Pet.

**I.** Pet. 2, 5. Ubi Petrus Ecclesiam vocat domum spiritualem. Jam, Qvi Ecclesiam dicit tota- liter esse visibilem, ille definitivè contradicit Petro. Atqvi Romanus Pontifex &c. E.

*Iul.*

Nego Majorem.

*Zabanius.*

Nulla Ecclesia spiritualis qvà talis est visibilis.

*Iul.*

Nego, Nego. 2. Distinguo, Ecclesia qvæ est spiritualis est visibilis, non verò qvatenus est spiritualis est visibilis.

*Zabanius.*

Eatenus est Ecclesia, qvatenus est unita Christo; Atqvi externè non est unita Christo. E.

*Iul.*

Nego Minorem. Qvia Ecclesia, secundùm Actum fidei est invisibilis, non verò qvatenus talis.

*Zabanius.*

Ergo nobiscum sentiunt de Ecclesia: Et hoc utilitatis habemus ex hoc Colloqvo; Qvare ergo nos damnant, dum distinguimus inter Ecclesiam Visibilem & Invisibilem.

*Magnificus Rector.*

Ideò, qvia Lutherani ante Lutherum ponunt invisibilem Ecclesiam, qvæ nullibi fuit.

*Zaba-*

*Zabanius.*

Ubi fuit Ecclesia tempore Eliæ? Nonne fuit invisibilis etiam? Nonne dicit se relictum esse solum?

*Iul.* Fuit in rerum natura.

*Zabanius.* In qvo loco, in qvo Regno?

*Iul.* Non teneor demonstrare.

*Zabanius.*

Ergo neqve nos tenemur ostendere, in qvo loco fuit vera Ecclesia ante Lutherum, & sic porro nos malè damnant, qvòd distinguimus inter Ecclesiam Visibilem & Invisibilem.

*Pater Rector.*

Nos bene, Vos malè distingvitis. Qvia Lutherani dicunt, aliquò tempore Ecclesiam fuisse totaliter invisibilem, & Catholici dicunt Ecclesiam semper esse Visibilem & Invisibilem simul, ut homo semper est visibilis respectu corporis, invisibilis respectu animæ.

*Zabanius.* Sed illud visibile est commune cum hypocritis.

*Iul.* Etiam Hypocritæ sunt in Ecclesia,

*Zabanius.* Sed non sunt de Ecclesia.

*Iul.* Imò sunt de Ecclesia, & sunt vera membra, licet non viva.

*Zabanius.*

Obtintiuimus qvòd Ecclesia detur invisibilis, eò qvòd tempore Eliæ talis erat. I. Reg. 19.

*Iul.* hinc inde versans Biblia, non potuit inventare Libros Regum, & tunc post longam mo-

B

120

ram eos reperiens, primū Regum describentem Historiam Eliæ putavit esse, qvī in vulgata vocatur Liber primus Regum, scilicet Samuelis, donec admonitus à Patre assidente Magnifico Rectori, per Internuncium intellexisset, qvòd primus Liber Regum sit tertius Vulgatae editionis.

Ivul.

Tempore Eliæ in Elia fuit Ecclesia, & ita porrò fuit visibilis.

Zabanius.

Ecclesia est cœtus hominum. Elias non est cœtus hominum. E. Et sic porrò poterit esse vera Ecclesia, licet eam non possumus determinare, in quo sit loco.

Ivul.

Promissiones Veteris Testamenti de Ecclesia non sunt pares promissionibus Novi Testamenti, & credebat Elias alibi esse Ecclesiam, licet nesciverit, ubi est vera Ecclesia.

Zabanius.

Hoc implicat: Illa Ecclesia, qvam Elias non vidit, fuit ne vera Ecclesia?

Ivul. Fuit.

Zabanius.

Attamen Elias eam nec vidit, nec scivit ubi est.

Magnificus Rector.

Nulla est Ecclesia, qvam nesciverit Elias.

Et:

Et: dispar est ratio inter Ecclesiam Lutheri & Eliæ, qvia vos non potestis ostendere Ecclesiam ante Lutherum, qvod poterat Elias.

Zabanius.

Falsum est: Ut enim Ecclesia Eliæ per hoc non est facta falsa, qvia tempore Eliæ non potuit ostendi alia: ita etiam Ecclesia Lutherana per hoc non redditur falsa, qvòd antè Lutherum non poterat ostendi.

Murmure variō obortō & protractō tempore solvitur Colloquium.

## COLLOQUIUM VESPERTINUM.

Invitatur ad disputationem Elias  
Ladiver, Rector Bartphensis.

Ladiver.

**C**ontra Articuli VI. hæc verba: Damnamus eos, qvi negant Ecclesiæ infallibile judicium de vero sensu Scripturæ competere.

Contra ita argumentor. Omne Judicium infallibile de vero sensu Scripturæ est ultimum secundum rationem fidei. Ecclesiæ Romanæ non est judicium ultimum secundum rationem fidei E.

Ivul. Nego Minorem.

Ladiver.

Probo Minorem tripliciter.

Primo.

B 2

Qvia

**Q**via Judicium cum Circulo vitorio non est ultimum secundum rationem fidei. Ecclesiae Romanae &c. E. Secundò. Hanc probationem ut & tertiam interruptit Illustris Episcopus dicendo: Una primò probatio proponatur.

*Ladiver.* Cedo juri, Assumatur igitur.

*Iul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Omnis legitimatio Ecclesiae per Scripturam & Scripturam per Ecclesiam est cum Circulo vitorio. Atqui infallibile Judicium Ecclesiae Romanae est &c. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Probo ex Thesibus. Qvia Authoritatem Ecclesiae probatis ex dictis Scripturæ, Articulo I. II. III. & IV. Et Autoritatem hujus Scripturæ probatis per Ecclesiam his verbis: *Sacram Scripturam recipimus juxta eum sensum, quem tenet & tenuit semper Sancta Mater Ecclesia.* Jam ita argumentor: Aut haec dicta sufficienter probant Authoritatem Ecclesiae, aut non. Posterius? E. habetur intentum. Prius? E. Sacra Scriptura est Judex controversiarum, saltem quantum ad Legitimationem Judicis Controversiarum.

*Iul.*

Per Scripturam aliunde admissam Nego  
con-

consequens, per Scripturam in sensu Catholico Nego Antecedens.

*Ladiver.*

Ubiq; Ecclesia probatur per Scripturam in sensu vestro non admissam, ibi est Circulatio, Atqui. E.

*Iul.* Negatur Major.

*Ladiver.*

Omnis probatio ignoti per æqvè ignotum est Circulatio: Probatio Ecclesiae per Scripturam in sensu Pontificio non admissa est probatio ignoti &c. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Probo. Est Probatio ignoti per æqvè ignotum, dum Ecclesia per Scripturam in sensu Pontificio non admittitur. 1. Qvoad Gentilem. 2. Qvoad Adversarium. 3. Qvoad Pontificium. Quantum ad primum, probo: Qui probat dubium per æqvè dubium, ille committit circulum vitorio. Atqui Ecclesia Pontifica respectu infidelis probat &c. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Qvia circulus est respectu Scientis non scibilis, teste Arist. l. 2. Analytic. Jam: Qvicquid est æqvè ignotum respectu Scientis (respectu infidelis qui scire debeat), scil. probata Ecclesia per Scripturam in sensu Pontificio, & Scriptura in sensu Pontificio per

Ecclesiam, ibi est Circulatio vitiosa respectu Infidelis. Atqui legitimatio Ecclesiæ per Scripturam & Scripturæ per Ecclesiam est talis. E.

*Illustr. & Reverendus Episcopus Agriensis.  
Negatur Minor.*

*Ladiver.*

Præviō honore debitō, probat Minorem ab Experientia. Qvia Pontificius probans Turcico Muphti Autoritatem Ecclesiæ vestræ per Scripturam, & Scripturæ per Ecclesiam, æqvè dubium per æqvè dubium probat. 2. Qvia respectu ejus est æqvè dubia Autoritas Scripturæ & Ecclesiæ Pontificiæ.

*Ivul.*

Omissâ responsione, per digressionem ad alias Materias & per promissas explicaciones vult respondere, facto murmure Auditorum.

*Ladiver.*

Non opus est explicatione, sed responsione. Pridem hæc mihi sunt cognita. Formaliter opposui, respondeat mihi etiam formaliter.

*Illustris & Reverendus Episcopus.*

Respondeo formaliter concedendo totum.

*Ladiver.*

Exclamat; E. habeo propositum, antè frustra negatum. Protestor insuper solenniter, ad hoc meum argumentum Magnificum Re-

ctorum

etorem negasse Majorem seu Conseqventiam; R. Præsidem negasse Minorem; Illustr. ac Reverendissimum Episcopum concessisse totum.

*P.Rector.*

Aliud est committere Circulum. Aliud posse committere Circulum.

*Ladiver.*

Iterum negatur quod concedebatur, & hæc, quantum ad rem præsentem, sunt unum. Ridet Universum Auditorium, dum idem affirmatur & negatur.

*Ladiver.*

Respondeatur igitur mihi formaliter.

*Ivul.*

Proponat mihi aliquid formaliter.

*Ladiver.*

Multæ erant formæ, sed Præses erat mutus (risu personant omnia). Probo itaq; (si quidem postremo conceditur committi circulum respectu Gentilis) etiam respectu Adversarii Ecclesiam Pontificiam committere circulum. Omnis Probatio ignoti per æqvè ignotum est circulus. Atqui Probatio Autoritatis Ecclesiæ respectu Adversarii, E.

*Ivul.* Nego Minorem.

*Ladiver*

Probat Minorem ex propria sua persona; Qvia respectu mei committitis Circulum, probantes ab ignoto ignotum. Vel ab igno-

B 4

tore

tio:re (traditione) notius (i. e. Scripturam):  
Jam Circulus est, tam dum ignotum per æqvæ  
ignotum, quām dum ex ignoto probatur no-  
tum. Confirmo. Qvia ego admitto Scri-  
pturam & non admitto Traditiones. E. qui  
probat per Scripturam traditiones, ille respe-  
ctu mei per ignotum mihi probat notius.

Ivul. Respondet tacendo.

Ladiver.

Respondens & Præses sunt in Circulo,  
& ideo sunt vertigine correpti. Expectamus  
Responsum.

Ivul. Probetur itaq; .

Ladiver.

Qui probant Autoritatem Scripturæ per  
ignotius, illi committunt circulum. Atqvi  
Vos. E.

Ivul. Negatur Minor.

Ladiver.

Probo: Qvia sicut Articulis primis qua-  
tuor, probatis Autoritatem Ecclesiae per Scri-  
pturam, ita Articulo V. admittitis Autorita-  
tem Scripturæ per Ecclesiam, sive in quantum  
Ecclesia admittat. E. respectu mei committi-  
tis Circulum.

Ivul. Nego Conseqvētiām.

Ladiver.

Probo. Qui respectu mei ignotum per  
æqvæ ignotum probat, ille respectu mei com-  
mittit circulum. Atqvi Vos. E.

IVUL

Ivul.

Ivul. Negatur Minor.  
Ladiver.

Probo, Traditio Vestra sive Autoritas  
Ecclesiæ respectu mei est ignota, sic Scriptura  
in sensu Pontificio explicata est itidem à me  
non admissa. Jam, Qui probat Traditionem  
per Scripturam in sensu à me non admisso,  
& Scripturam in sensu à me non admisso  
per Traditionem sive Ecclesiam, ille respectu  
mei committit Circulum. Atqvi Vos. E. Es-  
tinx converso sermone ad Auditores: Pro-  
fectò iterum, ut ad priorem Circulum, respe-  
ctu Gentilis concedent totum.

Ivul.  
Nego Majorem.

Ladiver.

Atqvi Major est antè concessa, & est de-  
finitio Circuli. Minor est Experiencie & Con-  
scientiæ. Quid hoc rei? Antè negabatur  
Minor, nunc inde perata Causa negatur Ma-  
jor. Et probatur Major: Ubi probatur Ec-  
clesia per Scripturam in sensu Pontificio à me  
non admisso, ibi respectu mei committitur  
Circulus. Atqvi in legitimatiōne hac Eccle-  
siæ. E.

Ivul.  
Nego Majorem.

B 5

E-

*Ladiver.*

Major, est definitio Circuli. Qvia Circulus est, ubi æqvè ignotum probatur per æqvè ignotum.

*Ivul.*

Admittit Scripturam qvomodo cu<sup>re</sup>que.

*Ladiver.*

Ergo non sit sanè Circulus respectu Scripturæ utcunqve [ h. e. citra & extra interpretationem Ecclesiæ ]; sed tamen manet respectu Scripturæ, ut vos admittitis h. e. secundūm sensum Ecclesiæ, probantis respectu mei Autoritatem Ecclesiæ: Et probo toties Majorem negatam. Circulus aut est Probatio ignoti per æqvè ignotum, aut noti p<sup>er</sup> æqvè notum, aut ignoti per notum, aut noti per ignotum. Assumatur aliquod Membrum.

*P. Rector.*

Respectu vestri probatur ignotum per notius. Qvia Claritas tua debet admittere Scripturam, & sic & Ecclesiam debet admittere, qvia Scriptura dicit: qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.

*Ladiver.*

Qvam Ecclesiam? Romanam? Certè non nisi per Circulum probatam.

*Zaba-*

*Zabanius.*

Ex Verbis Articuli V. *Credo & fateor, juxta sensum, quem tenuit Mater Ecclesie.* Jam ille sensus respectu Opponentis est ignotus. E. porro respectu ejus committent Circulum.

*Ladiver.*

Profectò tandem iterum concedent totum, qvòd respectu mei perinde, ut respectu Gentilis, committant Circulum.

*Ivul.*

Non concedemus.

*Ladiver.*

Ergo respondeant.

*P. Rector.*

Admittit tua Dominatio, qvieqvid in Scriptura claris verbis dicitur. Atqvi in Scriptura extat, tenete traditiones, qvi Ecclesiam non audierit.

*Ladiver.*

In sensu Vestro nec hæc, nec alia controversa dicta admitto. Theses verò sonant de Scriptura in sensu vestro, non de qvocunqve, Articulo V.

*Pater Rector.*

Deberet admittere etiam in sensu Catholico; sed imprudenter non admittit.

*Ladiver.*

Manet respectu mei Circulus. Qui defa-

defacto non admittit Scripturam in sensu Pontificio probatam per Ecclesiæ Autoritatem, & non admittit Ecclesiæ prætentam Autoritatem probatam per Scripturam in sensu Pontificio, respectu illius committitur defacto Circulus. Atqui ego non admitto. Ergo.

*Respondens nescit reassumere.*

*Ladiver.*

Respondens nescit reassumere Argumenta, nedum respondere: Assumat Praeses, *Praeses dum assumit, & ille heret. Tum Ladiver:* nec Praeses poterit assumere?

*P. Rector.*

Repetatur Argumentum.

*Reperito Argumento & reassumpto*

*Jvl Negat Majorem.*

*Ladiver.*

Repeto priorem Probationem, ad quam nondum mihi est responsum. Qvia Circulus vitiosus aut est probatio ignoti per ignotum, aut noti per notum, aut noti per ignotum, aut ignoti per notum. *Et silentibus omnibus,* Qvia Excellentissimus Praeses manè dicebat, se continuò futurum Lutheranum, si Ei probaretur intentum de Hus; Ego etiam solenniter pariter compromitto me continuò futurum Pontificium, si mihi [non concessò totò, uti bis jam protestatus sum & acceptatum est] sufficienter respondebitur.

*Jvl.*

*Jvl.*

Assumit primum. [Cùm tamen proximè antè assumentum erat, quod respectu mei probetur ignotum per notius].

*Ladiver.*

Probatio ignoti per æqvè ignotum respectu mei, est probatio Circularis respectu mei. Atqui probatio Autoritatis Ecclesiæ per Scripturam & Scripturæ per Ecclesiam in sensu vestro est &c. E.

*Jvl.*

Concedo Majorem, Nego Minorem.

*Ladiver.*

Atqui antè negata erat Major, quæ nunc conceditur & negatur Minor, quam probo ita: Qui probat Autoritatem Ecclesiæ per Autoritatem Scripturæ, in sensu Pontificio à me non admissa, ille probat ignotum per æqvè ignotum respectu mei. Atqui Vos. E.

*P. Rector.*

Prudenter non admissam. Nego Minorem.

*Ladiver.*

Qui probant Autoritatem Ecclesiæ per Scripturam quomodounque à me non admissam & vice versa, illi respectu mei comittunt Circulum. Atqui Vos. E.

*Jvl.*

Nego Majorem.

*Ladiver.*

*Ladiver.*

Probo. Qvia Circulus est ex parte Scientis, ut antè dixi: E. qvod ex parte mei qvomo docunqve non admissum est probatio æqvè ignoti per æqvè ignotum, illud respectu mei est Circulus. Atqvi probatio Ecclesiæ per Scripturam. E.

*Jul.* Nego Majorem.

*Illustr. D. Episcopus.*

Probetur Major In Forma.

*Ladiver.*

Probo, Illustrissime & Reverendissime Domine, ita: Qvod est æqualiter ignotum respectu Scientis (Adversarii) respectu illius probatō ignotō per æqvè ignotum committitur Circulus. Atqvi legitimatio Ecclesiæ per Scripturam & contra, est talis. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Minor est Experienciam Publicæ, & meæ Conscientiæ.

*P. Rector.*

Sed Clarissima Dominatio non prudenter non admittit, deberet admittere.

*Ladiver.*

Saltem de facto erit Circulus qvod antè est negatum à vobis & intenditur à me. Et ita: Qvicunq; probat ignotum per ignotum, sive pru-

prudenter sive imprudenter admittum, illo committit circulum. Atqvi vos respectu mei. E.

*Jul.*

Nego Majorem, Probetur in Forma.

*Ladiver.*

Probo ita: Omnis Circulus respectu subjecti (scientis) est vetus Circulus (Arist. l.z. Posteriorum). Probatio ignoti per æqvè ignotum, sive prudenter sive imprudenter non admissi, est Circulus respectu subjecti. E.

*Jul.* Nego Majorem.

*Ladiver.*

Major probatur, ut antè, ex Aristotele: Circulus est respectu Scientis & non scibilis. Et qvicquid est Circulus respectu Scientis, ibi est probatio ignoti per æqvè ignotum respectu Scientis, seu qvomodocunq;, et si in se & verè non deberet esse dubium.

*Jul.* Nego Majorem.

*Ladiver.*

Probatio ignoti per æqvè ignotum non est ex parte Objecti E. ex parte subjecti. Jam qvicquid non competit ex parte Objecti, competit Circulo ex parte subjecti. Atqvi probare ignotum per æqvè ignotum ex parte Scientis sive prudenter sive imprudenter, non competit ex parte Objecti, E.

*Jul.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Per Vos (explicant Patre Rectore) Cir-  
cu-

culus Subjectivus & Objectivus differunt, qvòd ille sit ignoti per æqvè ignotum quomodo cunq; sive de facto, hic de jure. Et adhuc ita habeo intentum. Qvòd nempe respectu mei committitis circulum Subjectivum, qvod antè negāstis.

P. Rector & P. Praes

Urgent, ut aliud proferatur Argumentum.

Ladiver.

Multò nobiliores rationes habeo, sed anteqvam eās proferam, expecto responsum.

Ivul. Dicat aliquid novi.

Ladiver.

Dicam, ubi audivero Responsum.

Ivul.

Qvare nos tantoperē cūm hoc Circulo vexat?

Ladiver.

Qvia ad disputationem sum invitatus, expecto Responsum.

Pater Rector.

Probo ab Inductione: Qvia Lutherani & Calviniani admittunt Scripturam literaliter. E. uterque necessariò debent admittere traditionem. Qvia Scriptura dicit: Tenete traditiones.

Ladiver.

Atqvi Scriptura, remotā Autoritate Ec-

clesiæ

clesiæ, est litera mortua. E. Lutherani & Calviniani ex Scriptura literaliter, h. e. secundum vestrum sensum citra interpretationem Ecclesiæ non poterunt convinci ex dicto dari Traditiones. Nulla litera mortua potest convincere. Scriptura Sacra, seposita Autoritate Ecclesiæ, est litera per vos mortua [posita Autoritate est probatio Circularis]. E.

Ivul.

Ecclesia non est in claris Scripturæ dictis Judex, qvæ qilibet potest intelligere, sed tantum in controversia.

Ladiver.

Ergo Sacra Scriptura in aliquibus est clara, seposita Autoritate Ecclesiæ. Atqvi tota Scriptura, seposita Autoritate Ecclesiæ, est obscura.

Ivul.

Nego totam Scripturam esse obscuram.

Ladiver.

Probo, totam Scripturam, ex sententia vestrâ, seposita Autoritate Ecclesiæ, esse obscuram; qvia tota debet animari ab Ecclesia: juxta sensum [ dicitur Articulo V. ] Ecclesiæ admittitis Scripturam.

Ivul. Nego Consequentiam.

Ladiver.

Probo. Qvicquid dicitur animari Autoritate Ecclesiæ proponentis sensu Scripturæ,

C illud

illud totum est obscurum sine Autoritate Ecclesiae. Atqui tota Scriptura. E.

Ivul. Nego Minorem.

Ladiver.

Omnes Pontificii hactenus totam Sacram Scripturam sine Autoritate Ecclesiae dixerunt esse obscuram. Provoco ad communem Sententiam Pontificiorum. Insuper: Aut tota Scriptura intelligitur Articulo V. Ubi dicitur: Admitto Scripturam juxta sensum quem tenet Ecclesia, aut partes aliquæ.

Ivul.

Partes Scripturæ intelliguntur, & non tota Scriptura.

Ladiver.

Ergo aliquæ dicta Scripturæ habent sensum clarum citra autoritatem proponentis Ecclesiae. E. Ecclesia non est Judex in omnibus, v. g. in illis, quæ supponitis esse citra Autoritatem Ecclesiae clara. Inde porro: E. aliquæ partes Scripturæ habent sensum sine Ecclesiae proponentis Autoritate.

Ivul. Conceditur.

Ladiver.

Ergo tota Scriptura per vos est clara citra Autoritatem Ecclesie. Probo consequentiam; Quia Scriptura est Homogenea.

P. Rector.

Negatur eam esse Homogeneam.

Ladi-

Ladiver.

Scriptura Sacra est ejusdem divinitatis: E. est tota Homogenea.

P. Rector. Nego Consequentiam.

Ladiver.

Nulla est diversitatis ratio, quantum ad Divinitatem infallibilitatis. E. Omnes partes Scripturæ sunt Homogeneæ.

Ivul. Nego Antecedens.

Ladiver.

Quæ est diversitatis ratio inter Divinitatem illorum, quæ clara sunt in Scriptura, extra interpretationem Ecclesiae, & eorum, quæ neisciuntur, nisi per interpretationem Ecclesiae? Tumultu & murmure confuso factò, nihil respondetur ad Instantiam.

Ladiver.

Nihil respondetur? Insuper tamen probabo Secundò, Principalis minorem ita: Sacrae Scripturæ Autoritas per vos non est ultimum motivum fidei. E. neq; Autoritas Ecclesiae erit ultimum proponens Fidei.

Ivul.

Aliud est motivum formale fidei, aliud motivum proponens fidei.

Ladiver.

De motivo ultimo proponente nobis fidem loqvor.

Ivul. Itaq; Negatur Consequens.

C 2

Ld

*Ladiver.*

Conseqvens probo, Autoritate Concilii Tridentini, Session. 4. Sacrosancta Synodus pari pietatis affectu & veneratione Scripturam suscipit cum traditione. Jam, qvod pari pietatis affectu veneramini cum Ecclesia, illud non magis est ultimatum motivum fidei, quam Ecclesia. Atqvi Scriptura est id, qvod pari pietatis affectu &c. E.

*Jvl.*

Canon loquitur de Traditionibus, non de Ecclesia.

*Ladiver.*

Eodem sensus recidit, cum Traditiones secundum Vos non sunt scriptae, sed sunt in Ecclesia: Alioquin habebitis triplicem Autoritatem, Ecclesiæ, Scripturæ & Traditionū. Et ita: Qvod pari affectu veneramini, illud non minus est ratio proponens fidem, quam aliud. Atqvi Traditio (sive Ecclesia) & Scriptura, sive verbum scriptum & non scriptum pari affectu veneramini, juxta Concilium Tridentinum. E.

*Jvl.* Nego Minorem.

*Ladiver.*

Probo, deducendo ad primam contradictionem. Qvia alioquin venerabimini Scripturam & Ecclesiam pari affectu, & non pari affectu, qvod in terminis implicat. Qvod deduco ita: Par erit affectus per suppositum &

& concessum vestrum; non erit par, per negationem proximam majoris.

*Jvl.* Negatur conseqvens.

*Ladiver.*

Conseqvens est in contradictione aperta. Probo amplius ita: Ubi est par veneratio respectu Autoritatis Divinæ, ibi non magis unum est ratio proponens fidem, quam alterum. Atqvi Scripturæ & Ecclesiæ par est Veneratio. E. Alioquin iterum erit par affectus & non par.

*P. Rector.*

Valetne ratio: DEUS Pater creavit nos, Filius redemit nos, Spiritus Sanctus sanctificat nos. E. pari pietatis affectu non sunt venerandi? Et mox corrigens seipsum, Imò Pater est ingenitus, Spiritus Sanctus spiratus, & Filius generatus, tamem pari pietatis affectu eos veneramur.

*Ladiver.*

Impertinens instantia est, & magna est diversitas, qvia cultus divinus erga Personas in communi essentia est.

*P. Rector, & Praeses.*

Ergò Personæ Trinitatis non sunt adoranda.

*Ladiver.*

Unde hæc Conseqventia? Par est cultus in Trinitatis Personis, & par est etiam Autoritas; hic vero par est cultus [per Concessum

& Autoritatem Tridentini Concilii Scripturæ & Ecclesiæ Sess. 4.] & tamen non est pars Divinitas.

*Illustris & Reverendus Episcopus.*

Satis est. Tempus est Cœnæ.

*Præses.*

Illustrissimo & Reverendissimo Domino, Illustrissimas, Clarissimis Viris Clarissimas, Magnifico Patri Magnificas &c. ago gratias pro præsentia. Interim quia apud nos non est consuetudinis ultra diem unum prorogare disputationem, agimus gratias Clarissimis Dominis pro fatigio itineris.

## COLLOQUIUM d. 26.

*Junii institutum.*

**P**Arantibus nobis abitum, nescio quō motivō Patres Jesuitæ moti, sub vesperam ferè mittunt Discipulos invitantes nos, si forte nobis ita visum esset, comparere ad ulteriorem disputationem, sequente die, quæ inciderat in diem Saturni. Respondimus, nos ne initium quidem Argumentorum nostrorum proposuimus. Et ideo non modò cras, sed & totâ sequente Septimanâ paratos nos esse ad opponendum promisimus. Invitatur verò in specie Clarissimus Dominus Magister Zabanius ad opponendum à Respondente.

Zab.

*Zabanius.*

Continuabo hesternas rationes. Non est opus peculiari Revelatione ad Certitudinem fidei particularem, E. Conseqv. 1. Joh. 5, 9. 10. Jam, qui habet certitudinem in se & quidem eam, quā major dari non potest, ille non opus habet peculiari revelatione ad certitudinem. Atqui omnis fidelis. E.

*Ivul.* Negatur Major.

*Zabanius.*

Aut particularis hæc revelatio est æquivalens huic, aut major, aut minor.

*Ivul.* Æquivalis.

*Zabanius.*

Quod est æquale testimonium in me existens, ex illo non possum certior redi de remissione peccatorum. Atqui peculiaris revelatio. E.

*Ivul.* Nego Majorem.

*Zabanius.* Quia est eadem eorum ratio.

*Ivul.* Nego hoc.

*Zabanius.*

Sunt æqualia ratione Efficientis, Materiæ & Finis.

*Ivul.*

Non sunt æqualia ratione objecti.

*Zabanius.*

Roman. 8. v. 15. Idem est eorum Objectum. E. ex nullo certius potest cognosci remissio peccatorum.

C 4

*Ivul.*

*Ivul.* Nego Suppositum.

*Zabanius.*

Quem Spiritum accepimus, ille hoc loco intelligitur, atqui non accepimus Spiritum alienum, sed adoptionis. E.

*Ivul.*

Concedo totum.

*Zabanius.*

E. habetur totum.

*Ivul.*

Nego.

*Zabanius.*

Qui Spiritus testificatur nos esse Filios DEI, ille testificatur nos accepisse remissionem peccatorum. Atqui i. Joh. 5, 7. Rom. 8, 16. E.

*Ivul.*

Eodem testimentiō Nego; Diversō Concedo.

*Zabanius.*

Utrumq; testimonium est Scriptum.

*Ivul.*

Si eodem Testimentiō est scriptum, Concedo.

*Zabanius.*

Probo ex i. Joh. 5, 7.

*Ivul.*

Est tantum sub Conditione. Ideo antequam purificata fuerit conditio, non procedit.

*Zabanius.* Rom. 8, 10. II.

*Ivul.*

Est Conditio, sed probetur, quod sit scriptum?

*Zaba-*

*Zabanius.*

Qui secundūm Spiritum ambulant, habent testimonium scriptum. Atqui omnes fideles. E.

*Ivul.* Nego Majorem.

*Illusterrimus & Reverendus Episcopus.*

Apud nos manet fides in hominē cum mille peccatis mortalibus, quod confirmavit etiam P. Rector.

*Zabanius.*

Omnis verè fidelis non secundūm carnem, sed secundūm spiritum ambulat. Jam qui secundūm carnem ambulat, ille non est verè fidelis. Omnis fidelis est verè fidelis. E.

*Ivul.* Nego Majorem.

*Zabanius.*

Ubi non sunt fructus Fidei, ibi non est Fides. Atqui in Infideli. E.

*Ivul.* Nego Majorem.

*Zabanius.*

Ubi non est effectus cum Fide necessariō connexus, ibi non est fides. Atqui in illis, qui secundūm carnem ambulant. E.

*Ivul.* Nego Minorem.

*Zabanius.*

Aut effectus necessariō cum fide connexus est justitia, aut contra. Ubi est justitia, ibi non est injustitia. At in verè fidelibus &c. E.

*Ivul.*

Distingvo Majorem. Ibi non est Injustitia aliquia, & sic Nego.

*Zaba-*

*Zabanius.*

Si datur aliqua Injustitia adæqvata. E.  
eodem tempore homo aliquis erit Filius DEI  
& Diaboli.

*Iul.* Concedo Totum.

*Zabanius.*

Non datur medius status inter iram &  
gratiam.

*P. Rector,*

Sermo est de Justitia Sanctificante.

*Zabanius.*

Ergo Dominus Praeses nihil respondet:  
Quia expressè dixit P. Rector, Præsidem de alio  
fuisse locutum.

*Iul.* Nego.

*Zalanius.*

Qui est unitus Christo, ille non est uni-  
tus Diabolo. Atqui verè fidelis. E.

*Iul.*

Perfectè, Nego Minorem, Imperfectè,  
Concedo.

*Zabanius.*

Illa est perfecta unio, quæ nos reddit  
membra viva. Atqui fides, quæ est in verè Fi-  
deli. E.

*Iul.* Negatur Minor.

*Zabanius.*

Quia nullum est aliud medium, quō u-  
niremus Christo, quām fides.

*Iul.*

*Iul.* Fides præcisè, Negatur.

*Zabanius.*

Quod in Articulo Justificationis oppo-  
nitur fidei, illud non est medium unionis no-  
stræ cum Christo. Atqui Charitas. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Zabanius.*

Phil. 3, 6. Justitia, quæ fuit in Paulo, fuit  
vera Justitia, & fuit ex sola Fide.

*Iul.* Nego.

*Zabanius.*

Paulus inactu Justificationis excludit  
bona Opera legalia.

*Iul.* Concedo totum.

*Zabanius.*

Illa lex h. l. intelligitur, secundūm quām  
Paulus irreprehensibilis erat, Atqui secundūm  
legem moralem. E.

*Iul.* Nego Minorem.

*Zabanius.*

Cujus Legis studiosissimi erant Phari-  
sæi, illa lex h.l. intelligitur.

*Iul.* Legis moralis non erant studiosissimi.

*Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus.*

De illa Lege intelligit, quām putavit esse  
detrimentum. Atqui legem moralem non  
putavit esse detrimentum. E.

*Ladiver.*

Lex Moralis nemini est in se detrimen-  
tum, sed sepositâ satisfactione Christi, & Phari-  
sæis & Pontificiis est detrimētum.

*Il-*

*Illusterrimus Episcopus.*

Ita, si seponatur satisfactio Christi.

*Ladiver.*

Atqui Satisfactio Christi non est sufficiens Causa Salutis juxta quosdam Scholasticos, perinde ut apud Pharisæos, qui itidem præiam gratiam admiserunt, & ita diversitatis ratio erit in modo gratiæ Divinæ præeuntis, non in gratia prævia.

*Zabanius.*

Illam Legem Paulus h. l. intellexit, quæ dixit, illi Concupiscentiam esse peccatum. Atqui non lex Ceremonialis sed Moralis. E.

*Ivul.* Nego Majorem.

*Zabanius.*

Mali operarii, qui peccârunt moraliter: & Paulus expressè contradistinctivit Circumcisionem conversationi morali.

*Ivul.* Nego Consequentiam.

*Zabanius.*

Paulus h. l. ait de Pseudo Prophetis, qui tam Ceremonialem, quam moralem Legem intellexerunt.

*Jvul.* Non utrumque, sed alia etiam à Circumcisione ceremonialia.

*Zabanius objicit II.*

Ex 1. Petri. 2, 23. Qui statuit definitivè, ab illo, qui arguit Injustitiæ Deum, non esse recendum, ille non est infallibilis Judex. Atqui Pontifex Romanus. E.

*Ivul.* Nego Minorem.

*Za-*

*Zabanius.*

Quia statuit tenendam esse vulgatam editionem, quæ arguit DEUM in justitia. i. Pet. 2, 23.

*Jvul.* Intelligitur Pilatus.

*Ladiver.* Tradebat vindictam velut Superiori. E. non Pilatus, sed Deus intelligitur.

*Zabanius.* Sermo est de justitia Vindicativa.

*Jvul.* Tradebat patiendo patienter.

*Zabanius.* Probo contrarium, ex Editione Erasmi Latina, quæ legit justè.

*Jvul.* Erasmus erat talis Catholicus ut Claritates Vestræ.

*Ladiver.*

Atqui à Leone X. Filius dilectus nuncupatus, & Autoritate Papali Versio ejus confirmatur.

*Illusterrimus Episcopus.*

Donec erat Catholicus. Sed post factus est Lutheranus.

*Ladiver.*

Satis est quod tum, dum confirmaretur à Leone X. ejus versio, Erasmus justè vertit δικαιως vocabulum.

*Zabanius.*

Probo etiam ex Graeca versione. Legitur textus Graecus, & inter legendum, vocabulum δικαιως.

*Ladiver.* Dicit Præses: Ecce Injustè.

Protestor coram Illustri & Reverendissimo Domino, ut & coram Nobili hoc Auditorio,

rio, Patrem Præsidem Vocabulum Græcum exposuisse per *injustè*, ubi vel Tyronibus Græcæ Lingvæ patet, qvòd aberraverit. P. Rector volens corriger, addidit: non dixit P. Præses qvod *δικαιος* significet *injustè*, sed, si in Latino est *injustè* & in Græco debet esse.

*Ladiver.* Ostendatur igitur talis Græcus textus, ubi habetur *ἀδικίας*.

*P. Præses.* Erasmus suffuratus est & privativum.

*Zabanius.*

Ostendatur igitur Græcus textus, ubi illud habetur? Afferatur Græcum Novum Testamentum. Et paulò post: Qualis est hæc Academia, in qua Græcus Textus Novi Testamenti non habetur?

*Ladiver.*

Illustrissime & Reverendissime Domine, Protestamur communi nomine, qvod si in aliquo Græco textu reperient & ostendent Patres, *ἀδικίας*, nos futuros victos, si vero non ostenderint, nos futuros victores & Patres victos.

*Illustrissimus Episcopus.* Res hæc est levis.

*Ladiver.* Est quæstio facti: Producatur Novum Testamentum. Et iteratò protestamur nos futuros victos, si ostendetur.

*Præses & P. Rector inquit:* Pergant.

*Zabanius.* Non prius, nisi nobis afferatur Novum Testamentum. Afferatur.

*Ivul.*

Clarissimus Dominus Bartphensis pergit.

*Ladi-*

*Ladiver.*

Libentissimè, & sunt mihi Argumenta, qvæ libenter proponerem, sed non prius, nisi nobis textus Novi Testamenti, ubi *ἀδικίας* habetur, ostendatur. Tum pergemus.

*Illustrissimus Episcopus.* Res hæc est levis.

*Ladiver.*

Ob id facilior responsio. Si ad rem levem P. Præses respondere non potest, qvì ad graviora respondere posset? Heri sudabat in Circulo, hodiè progræderetur in infinitum.

*Zabanius.* Afferatur Novum Testamentum.

*Ivul.* Erasmus pervertit ex Hebræo.

*Ladiver.*

Ecce aliud absurdum! Qvod si & hoc potest ostendi, Erasmus non ex Græco sed ex Hebræo vertisse?

*Ivul.* Non vertisse sed pervertisse.

*Ladiver.* Maneat Verbum, sive vertisse, sive pervertisse, fatebor me esse victimum.

*Respondens.* Christus Domini latinè locutus est.

*Zabanius.* Unde probabis?

*Ivul.* Pergat Clarissimus Dominus Bartphensis.

*Ladiver.*

Libenter pergerem, & doleo, qvòd rationes meas proferre non possim; sed non prius pergam, qvàm Nov. Test. afferetur. Ego enim protestor, me omnia mea Argumenta insoluta Bartpham revereturum.

*P. Re-*

*P. Rector.*

Clarissime Domine Doctor Eperiensis, &  
Clarissime Domine Doctor Almi Gymnasii  
Bartphensis. Dum loquendum esset de Fide,  
pervenerunt ad quæstiones Grammaticas.

*Zabanius.* Est hoc effugium.

*Ladiver.*

Pergemus ad ulteriora. Producatur  
Textus, ubi habetur in Textu Græco Vocabu-  
um injustè. *Et dum unus post alium è supe-  
riori sciamno Professores pro textu Græco cunt,  
unus ex illis rediens, tacitè in aurem quædam  
dicit Patri Rectori [ absq; dubio, quòd nullibi  
Græcus Textus habeat ἀδικίως, sed ubique  
δικαίως ].*

*Præses*

Stans perplexus, gratiasque nobis actu-  
rus, tria se monitrum satis trepidè dicit: Pri-  
mò. Ne eum diffamemus & calumniis tra-  
ducamus, quasi respondere non potuerit. Re-  
spondimus, inquit, quantum potuimus. *Et*  
*solutis nostris in risum, discessimus.* Ibi Pater

Rector: Agemus calamò. Re-  
sponsum: Respondebimus ca-  
lamò.

**F I N I S.**

